Oprawiono w r. 1943.

NAPOLEONIS MAGNI
PRIMOGENITO
NATO ROMANORUM REGI
CARMEN SACRUM

AD AUGUSTUM

Quincti Horatii Flacci Epistolarum libro secundo Epistola prima.

Quum tot sustineas, et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem
Si longo sermone morer tua tempora, Cesar.

Virgilius Maro Ecloga tertia, cui nomen PALAEMON,
versu. 70. 71.º

Quod potui, puero sylvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem, misi, cras altera mittam.

Post geminos vates breve votum tertius offert:
Ut Pater et Natus viuant sors, et decus orbi.
Quin manet emeritus sibi fulvo Cæsar in auro,
Ut [2]repetat [1]Regi natum pro Cæsare carmen.

Hic dies verè mihi festus, atras
Eximet curas; ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Cæsare terras.

Horat. Lyric. L. III. Ode XVI.

Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina! tuus jam regnat Apollo

Virgilius Ecloga IV cui nomen POLLIO
versu 8. 9. 10.

Cesare, rege, satus puer, ac rex urbis et orbis,
et patrem et matrem nitidis complexus ocellis;
inde nihil metuens, quod ametur ab omnibus unus,
vividus et fortis, vultuque tenerrimus heros,
Herculis ad normam serpentibus in caput hostis,
corpore morbillis salvo formosior infans,
qui bonus et morbis et debilitate carebit,
pango, quo fulget tam nomine quam omine sospes.
NAPOLEO! CAROLUS Fastis civilibus audit,
jure, avoque potens magnorum imitator et hæres.
Quis bifrons Janus, quadrifronti nec datur impar?

FONS SACER, Indigetes Laribus Natalibus augens,
nomen avi et patrui Romanas dicet ad aras.
hinc FRANCISCE JOSEPHE tuos ordire triumphos;
hinc AUGUSTORUM teneat CONCORDIA Fasces;
hinc torquatorum patrum de regibus Ordo
splendeat, et populos moveat felicior augur.
SPIRITUS IPSE DEI, quo vita, salusque vigebunt,
influet in mentem pueri, mollemve juventam,
unde virile probos accrescet robur in annos,
et virtus surget duris exercita rebus.
Quis prior expediat pressas caligine terras,
qua latet ignoti fulmen, tonitruve Gradivi?

Filius ante patrem, sublimis in æthere globus,
quem pavet ac oculum bovis alta per æquora Britto,
stellatas cunas referens ad Orionis orbem,
quo gladii pandit duo balteus astra paterni,
sidus et Hesperiis et sidus Francus Eois,
præfert animum, quem summo à numine traxit,
Lege, Fideque PIUS, FELIX, AUGUSTUS is idem
nascitur Ascanio[x] pater orbi lumen et ordo.

x Aenea

Salve parve puer, Ayre regum maxime salve,
quo Franciscus avis Lodoica prole beatus
æmula Josephi patrui monimenta Viennæ
Parisiis mereat, Trajano suppare mole!
Salve spes populi! magnæ spes altera Romæ,
qua alta trophæa Tuo dat et immortalia Patri.
Arietis à signo clemens tua sceptra potestas
elevat, et luges sortem miserabilis ævi,
luges, seu omnes, lacrimas ridentibus astris,
ast querulo in Latium ducis pæane Camænas;
nunc audire mihi videor, quid lacrima dicat.
Nascor, et erubui suffusum sanguine mundum,
regnaque Neptuni non indignata Britannos.
„ Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum „
Cur amissa dies abiit sine fœnore Fasti,
vel perit æterna Fastus sine fœdere Pacis?
quid non mitescant divino Codice mores?

„ Des, ubi consistam, cœlum terramque movebo „
„ Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum „
Hanc molem rerum vix natus pusio tentem
præcepto magni, ductuve Parentis ut heros?
Me manet immensus campus, faciesve pericli.
„ venit ad occasum, mundique extrema Sesostris „
Me superare decet tua fortia gesta Sesostri!
unde meos ducant populorum vota triumphos,
dum socios natura pares ac ars mihi fingat.
„ Barbara pyramidum sileat miracula Memphis; „
Nec saturi paleis jactent Babylona labores,
quantumcunque Dii sudoribus æthera vendant,
et juga more boum nigros, albosve catenent;
non ego terrores, fucosque imponere natus,
auspex innubis veri, rectique, bonique,
curas mitto; „ Deus nobis hæc otia fecit „
Hic labor, hoc opus est, deducere sydera cœlo;
Propitiumve Jovem populis ad vota precesque.
Ne vacet officiis Pastorum formula Regum,
Principibus placiturus alar Pastoribus Arcas.
Pastori Prima vivam gratissimus infans

„Musa Palatini referamus Apollinis ædem,„
Francia qua lectos pueros formabit in aula
et quibus insignis dabitur custodia Lechus
Carpathio-ve mari claras, bimari-ve Corintho; (x)
longa Polonorum manus et distincta merendo.

Sarmatiæ fines, populos, regna, æmula Roma
Parisius morum, fideique volumine tractat.
Fama fuisse Troes canit, illos posthuma virtus
quæ Pietas Romæ, Jus Regum, Cæsaris ara,
quisque tyro recitat quanta est sibi patria curæ.[1]
unde sua gentis schola princeps evocet umbras.[2]

Filia dicatur Sorbonæ Academia Græci:
Napoleonis abhinc cito crescet filia Magni.
dum suus Aonidum frater sub Apolline crescat.

His vitæ sociis pueri recreabitur ætas
et placidi mores, et candor, et ardor, et æquum
limitibus propriis, queis gloria terminus exit.

„Itur ad Elei ter maxima jugera campi;„
at socios reliquos patris comes ille relinquet,
celsa Latinorum relegens vestigia regum,
consilii nec inops, nec aviti roboris expers.

Quos Mars absumpsit, reddet ratio studiorum.
Vir bonus et sapiens, qualem vix reppérit unum
Millibus ex multis hominum consultus Apollo,
non unus perit, perierunt millia secum:

(x) clarus ab Illyriæ dux Vistuleove Vavello,
unde sua Fama cunas deducere certat Longa.

Ast obeundo pares patrio jubet orbe redire.
Sic redit in patriam Augustus felicior hæres:
„ et proles antiqua redit concordia, virtus, (x)
insignemque canunt stygia de plebe triumphum „ (y)
~~Cæsar et~~ Ipse bona (cæsar) socios accedere causa
gaudet et hostiles insultus tempore frangi-
Nunc torrente recens vates eat Afer arena,
cujus ad aspectum vel torva leæna pavescens,
et catulos raptos, cæca et spelæa relinquet.
Orpheus hoc iterum cernetur Arion et ævo,
Amphione Thebis posituro mœnia vate.
Nunc quibus astra coli viguit non vana voluptas,
Zodiaci signis addant inventa nepotum;
Zodiaci signis addant inventa nepotum;
quo ciet Uranie numero vel nomine stellas?
vitrea Dollandi plano lens certet Olympo;
et doceat, quantum pascat via lactea regem;
ut cito discat arcunsue, serensue, metensue sibimet
in sphæra cœli momentum solis et horas,
axe sub obliquo, quam respicit Uranus Arcton?
„Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
sub pedibus styx atra videt, manesque profundi „
rideat et partim, partim veneretur, Athenas.
qui voluere solum seu discum stare sub astris.
Regis ad exemplum, terræ monitrice figura.
Nunc systema tuum Copernice! teste Marone,
quo sol, signa dabit: Solem quis dicere falsum
audeat? ille monet tenebris evolvere lucem.

(x) et pudor et pietas alta cervice vagantur.
(y) vidimus, ipsa stygi liquidas delapsa per auras
Justitia insultat, vitiisque à stirpe revulsis
elicit oppressas tenebroso carcere leges
à præjudiciis scenæque, fori que, specusque, tribusque,
quis seneca vulgus vel dente vel ungue tuetur—

Exue caucaseum levis ad grave plasma Prometheu
nunc chalybem, et tusis de rupibus elice flammam.
nec tua Jein saevus praecordia devoret ales,
nec rota Solis abhinc, nec te Jovis ira movetur
quin hominem formes non Pyrrhae aut Deucalionis,
sed volucres interque feras qui tutior ~~ibi~~ iret.
Accendat scintilla faces ad quatuor aras,
quattuor Indigetum, ad populi tot vota per annum
tot Patriae Fastos, tot gaudia nata Parentum.

Nunc, cui natura triplex penetrabile regnum est,
lumen Aristotelis Linneja dissipet arte,
ad captum pueri [linguae] Buffon [ius] idiomatis auspex,
in volucrum [voces] ~~linguas~~, et praepetis omina penna,
in grave quadrupedum genus, et circense theatrum,
inque characteres plantarum industrius ductor.

Custodire velint tot opes, quot germina Flora
Parturi nullis Europa sumptibus horti;
libertate maris donec potiatur egestas,
nil et avarities in publica commoda peccet,
quae longo exhaurit discrimine sanguinem et aurum;
sed sua Taprobanes Latiis det cinnama lauris
det Moca Coffeum, [e det. saccara Mauro Otaheita] ~~quin Maura det insula saccar~~,
insula pacifico super aequore plena furoris.

Regum de plantis lego bella cruenta; quot annis?
quot populis? quoties ferali marte litatum.
Transmare et ad culpas causam dedit. Inde quid optem?

e ~~quin saccar Maura Taiti~~.

Omnis ut Imperio parens ferat omnia tellus.
En vel aromaticus calamus, vel beta Corinthi,
intybus unde genus plantæ, species sua Cicla,
vel cichorea et tenenis frondens lactucula fibris,
jam favet et servit nostratibus obvia mensis
Geminat et nunquam fallentis termes Olivæ,
qua dulcem colit alma Minerva sub arbore Pacem.
Mella Borysthenidum Pomonus in saccar adurit,
mel ad Alexandri volat Arcton, Cauna quod affert,
tiliaceis examen apum quà regnat in hortis
Carpathicis pinubus Cedri sudare laborant.
juniperi baccis turdus sapit, accola succô.
Aursa fors quernam glandem urere noverat ætas,
castaneis simili pro miti climate pulpa,
et Cererem et Bacchum disperso nectare tegit,
quo sapiente pari Saturnus nec mare vidit.
Mare quid Oceani tot regna telonia mulctant?
Quis tot et Europen limes discerpit in artus?
Quæ ~~nova~~ firma fraus solida prohibet commercia terræ?
Quid petis? ambrosias-ne domesticus educet hortus?
dummodo Fabricios imitari calleat infans.
Vult Maro felicem, fortunatumve Nepotem,
qui Georgica scripsit, is idem Æneidis Auctor?

Nunc, quibus est animus fluviis submittere petras,
littora littoribus, per et æquora currere cymbis:
festinent lentè, plus quærant nec procul ultra. (r)
Dantisci electrum, Cyrnæ coralia gemmis
præcipiant, patriive soli tueantur honores,
cum sale Velicio septem miracula certent,
qua Carodunais Aurelius arcubus ibit.
Zuernam pro lauris circo formante coronam.
Ocyus ut pateant magna molimina mentis,
in mare qua septem sua distrahit ostia Nilus,
seu sua Mercurius, seu Mars ad munera classes
instructas dubiis pelagi commiserit Astris.
„Alter erit tum Tiphys et altera, quæ vehat Argo
„delectos heroas; erunt etiam altera bella,
„atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Vive heros de Saix! vobis cano: vivite fortes
fortiaque adversis opponite pectora rebus.
Fors erit, ut regis simul ac adoleverit ætas,
quando levis Tiberi colludet in æquore Thetys,
moverit is Cybelen, quid non genus omne deorum?
hunc amet Oceani tanto regina sub ausu.

(r) Stat sat ab Herculeis hostes arcere columnis
Stat sat ut in commune fluant sua flumina lucrum

„ Sunt sibi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
„ quarum, quæ vultu pulcherrima, Deiopeam
„ conjugio junget stabili, propriamve dicabit „
„ aspera tum positis mitescent sæcula bellis.

Scilicet ingenium Patris Martem exuet armis.
quà Tagus aurifluus, quà Vistula Baltida frænat,
qua Tanais discors, et opus fatale Tamesis,
unî concedent palmam tot flumina Rheno.
omnibus ut Sequanam Neptunus adoret in undis.

Nec Byzantinos vaga differet hora curules
milleque velorum tormenta propontide sident.

Tum Salû magnæ repetent oracula Matris
Lustra urbis dominæ ordino vesta in cæsaris astro.

„ Incipe parve puer! risu cognoscere matrem „
Hanc simul agnôsti, Tibi sol et sydera rident.

Rendez au Creater, qui à lui doit rendre.

Ad Julianum Ursinum Niemcewicz.

Vive, vale! si quid novisti rectius istis
candidus imperti: si non, his utere mecum.
Horat. Epistol. l. I. epist. VI. ad Numicium nil admirari v. 67. 68.

Nunc Ursine fave paucis pro cive Ducatus
Carminibus, Qui orbis civis et urbis eas.
Sat merito splendere tuo te pacis amantem
Iam procul Americæ Res Statuum memorat.
Unde, quid incipiam, cui raræ nomine famæ
Varsaviæ doctus præmia cœtus alit.
COEPISTI QUA FINIS ERAT. SAPERE AUSO sculpe Numisma
Mentor et Arcadibus Musa novena refer.
Turbine, quo jactatus eras, jactatur et orbis,
Sed placidum portum vela secunda vident:
Queis non Uranie tua diris devovet Anglos,
Qui pro Neptuno cum Jove bella ~~movent~~ gerunt
Horror ~~eos~~ illos, et turbo rotent, et pœna sequatur
Hos, quibus Oceani patria falsa tumet.
Vivere pro patria quibus haud est dulce, sit illis
Dulce mori bello, peste, fame, igne. VALE.